



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 7. Quare debet esse supernaturalis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

24 TRACTATUS VI.

unum mortale peccatum , vera nequit esse  
Contritio , & falsa est Pœnitentia.

Hoc autem Innocentius II. relatus in Canone afferit dicens: *Fratres nostros Episcopos & Presbyteros admonemus, ne falsis Pœnitentiis Laicorum animas decipi , & in infernum pertrahi patientur. Falsam autem Pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo Pœnitentia agitur ; aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio : unde scriptum est, Qui totam legem observaverit, offendat autem in uno , factus est omnium reus , scilicet quantum ad vitam & eternam. Sicut enim si quis peccatis esset omnibus involutus , ita si in uno tantum maneat , & eterna vita januam non intrabit.*

Quæst. 7. Quare Contritio debet esse supernaturalis ?

Resp. Quia cum gratia habitualis , per contritionem producta , sit qualitas supernaturalis , Contritio debet esse ejusdem ordinis ; quo sit , ut si quis de suis peccatis doleret ex motivo tantum naturali v. g. propter pudorem , aut infamiam à peccato provenientem , aut propter pœnam quam patitur propter illud , non esset vera Contritio. Unde Divus Thomas rationem reddit quare Antiochi Pœnitentia ei nihil omnino profuerit ad remissionem

S. Tho. 3. p. peccatorum consequendam , dum ait : *Nec q. 86. art. 1. Antiochus verè pœnituit ; dolebat enim de culpa præterita , non propter offensam Dei , sed propter infirmitatem corporalem quam patiebatur , & sciebat esse pœnam sui peccati.*

Catechis. „ Altera est Pœnitentia , cum quis ex scelere p. 2. de Pœ. „ admisso , quod quidem antea placebat ; dolonit. Sacram. „ rem non Dei , sed sui ipsius causâ concipit. Et „ est quædam commotio , & perturbatio animi affectio.

*De Sacramento Pœnit.* Cap. V. 25

affectio. Tertia est , cùm non solum ad-  
missi sceleris causâ intimo animi sensu dole-  
mus , vel ejus doloris externum etiam aliquod  
signum damus ; verùm unius Dei causâ in eo  
mœrore sumus : ac singulis quidem Pœnitentia  
generibus quæ commemorata sunt , Pœnitentiæ  
vox propriè convenit. Tertiam tum ad  
virtutem , pertinere , tum Sacramentum esse  
dicimus.

Summus Pontifex Innocentius XI. sic defini-  
vit , cùm sequentem propositionem dam-  
navit.

*Probabile est sufficere attritionem natura- 57. Propos.  
lem , modò honestam.* damnata,

Quest. 8. In quonam consistit differentia  
inter dolorem perfectum , qui vocatur Contri-  
tio , & dolorem imperfectum , qui dicitur at-  
tritio ?

Resp. S. Antonius id clare explicat his  
verbis : *Ad veram contritionem concurrunt* illa quatuor. Primò infusio gratiæ. Secundò  
motus liberi arbitrii in peccatum detestando,  
in quo includitur propositum confitendi & sa-  
tisfaciendi. Tertiò motus liberi arbitrii in Deum  
diligendo super omnia. Quartò temissio cul-  
pæ. Ex his patet differentia inter contritionem  
& attritionem dupliciter. Uno modo ex parte  
liberi arbitrii : quia dolor imperfectus dicitur  
attritio : Et dolor perfectus dicitur Contritio.  
Secundò ex parte Dei : quia dolor gratiâ in-  
formatus , est Contritio , quantumcunque sit  
modicus dolor ; qui non est gratiâ informa-  
tus , non potest dici contritio , sed attritio.

Hanc duplēm differentiam clare satis ex-  
plicat Concilium Tridentinum : Primam qui-  
dem cùm attritionem vocat imperfectam con-  
tritionem. Secundam verò cùm asserit : *Docet* <sup>Conc. Tri-</sup>  
*præterea etsi contritionem hanc aliquando* <sup>dent. less.</sup> <sup>14. cap. 2.</sup>

*Tomus IV,*

B